

Et S. eadem C. rescribendum censuit: Negative.

Atque ita rescribere censuit et declarare. N. 5180. ad 7. Die 25. Septembris 1852.

Vd. *Planeta plic. Diac. et Subd. in missa pont.* (Quando depon.)

23) Ad Lectiones cantandas.

Vd. *Nativitas Dom.* (off. cantor.)

24) In Litanis.

Licere Sacerdoti simplici uti stola in decantandis Litanis in Ecclesia laicali et in custodiam dicto Sacerdoti data, etiam concurrente populo et contradicente parochia ejusdem loci. n. 2356. die 13. Febr. 1666.

25) Materia.

Vd. *Paramenta* (materia); *Utensilia eccles.* (materia).

26) Extra Officium.

Extra proprium sacerdotale Officium non licere Parochis deferre stolam. n. 2607. die 3. Dec. 1672.

27) In Officio Defunct.

Ad dubium: In Parochiis ruralibus quum defunctus decessit in domo, longiori distantia, ut saepe fit, una et aliquando altera leuca, separata ab Ecclesia, in qua Exequiae peragendae sunt, cadaver curriculo ad portam principalem hujus Ecclesiae adducitur, ibique Parochus recitare solet preces, quae juxta Rituale Romanum sunt recitandae in domo defuncti, si proximior sit, antequam cadaver ad Ecclesiam deferatur. Igitur quaeritur: 1) Utrum hoc in casu Parochus induere possit Albam loco superpellicei, ut mos est, si immediate post Officium Mortuorum, quod ipse Parochus facit,

Missam sit celebraturus? 2) Et super Albam aut superpelliceum, si Alba non utitur, Stola nigri coloris una cum Pluviali ejusdem coloris? Ratio dubitandi est, quia fert Rituale Romanum. „Stola nigra, vel etiam Pluviale ejusdem coloris.“

2. Utrum Sacerdos alius a Parocho, qui in Ecclesiam cadaver introduxit, Vicarius v. g. celebrare pro Officio mortuorum queat et utrum teneatur ille Vicarius induere Stolam et Pluviale, aut Stolam vel Pluviale nigri coloris ab initio Officii mortuorum vel tantum ad preces recitandas in fine Nocturni, quum Laudes non dicuntur et utrum has preces recitare possit absque Stola et Pluviali?

3) An tertio Sacerdoti, a supradictis Sacerdotibus diverso, celebrare liceat Missam, ut in die obitus post Laudes, sive post Nocturnum, quum Laudes non dicuntur?

S. eadem C. respondendum censuit

Ad 1: „Quoad primam quaestionem negative, quoad secundam quaestionem affirmative.“

Ad 2: „Quum Stola sit signum Officii, non jurisdictionis, Stolam ipsam assumendam ab illo, qui Exequias persolvit, sive Parochus sit sive alius Sacerdos pro Parocho.“

Ad 3: Affirmative.“

Atque ita rescripsit. N. 5221. Die 21. Junii 1855.

Ad dubium: Utrum in Exequiis Sacerdos, qui Stolam vel etiam Pluviale nigri coloris assumpsit pro deferendo cadaver in Ecclesiam, possit Stolam vel Pluviale nigri coloris retinere ad canendum Nocturnum Officii mortuorum aut Vesperas mortuorum, si in casu necessitatis Exequiae vespere fiant, quum immediate cantatur?

Responsum prodit:

„Posse.“

Atque ita S. C. rescribere rata est propositaque dubia declarare. N. 5208 ad 4. Die 12. Augusti 1854.

Ad dub.: Utrum in die III., VII. et XXX. et Anniversario ceterisque aliis diebus Sacerdos assumere possit Stolam et Pluviale ab initio Officii mortuorum quod cantatur ante Missam?

Rescriptum prodit:

„Posse.“

Atque ita rescribere rata est propositaque dubia declarare. N. 5208 ad 5. Die 12. Augusti 1854.

Ad dub.: Utrum possit Sacerdos ad Vesperas Mortuorum accipere Stolam et Pluviale ab initio Vesperarum et quatenus negative? Utrum teneatur accipere ad Cant. *Magnif.* vel saltem pro precibus recitandis?

S. C. resp.: Posse sed non teneri. N. 5208 die 12. Augusti 1854 ad 8 et 9.

Vd. *Pluviale* (in Off. def.)

Ad dub.: An Sacerdos, qui juxta Rituale, superpelliceo et stola indutus praefuit elationi corporis, debeat retinere stolam dum praest Matutino et Laudibus, quae immediate sequuntur? saltem si in hac functione utatur pluviale, quum in eo casu non possit deponere stolam, quin aliquantisper Pluviale exuat?

S. C. resp.: In utroque casu licere. Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2198.)

Ad dub.: An in officiis defunctorum celebrans induere debeat stolam vel saltem possit, uti erui posse videtur ex lib. 2. cap. 10. Caeremonialis Episcoporum?

S. C. resp.: Negative extra casum in Caeremoniali contemplatum.

Die 7. Septembris 1850.

(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59. p. 223.)

28) Osculum.

Ad dub.: An Sacerdos possit vel debeat osculari stolam, dum eam assumit ad deponendum e throno SSmm Eucharistiae Sacramentum pro benedictione impertienda illudque reponendum in Ciborio post benedictionem ipsam?

S. R. C. rescribendum censuit:

„Servandam consuetudinem.“

Atque ita rescripsit die 29. Martii 1851. N. 5160 ad 1.

29) SS. Papae.

Vd.: *Stola Parochor.* (decr. n. 4550 nota) *Instr. Clem. §. IX. n. 8. 10.*

Franciscus S. S. E. Cardinalis Mantuanus, Ludovici scilicet Gonzagae Mantuani Marchionis filius, a Pio Papa II. anno MCDLXI. creatus, fuit ejus opinionis Cardinales scilicet semper debere praecedere Pontificem, quando Pontifex habet Stolam. Sed hanc opinionem, quam propugnabat memoratus Cardinalis Mantuanus, ne unquam abesset a latere Pontificis, quia scilicet ut secundus Diaconus Pontifici ipsi assistebat, merito Augustinus Patricius refellit,*) quia nimirum Romanus Pontifex Maximus nunquam debet exire in publicum sine stola adducitque exempla laudati Pii PP. II. et Pauli itidem II., quorum primus, cui ad minus in suo Pontificatu per quatuor annos deservivit, per agros etiam, et nemora peragrans, Stola semper gestavit, alter vero licet per Urbem lectica clausus veheretur, nunquam sine Stola erat. Consuevisse jam olim non modo Summos Romanos

*) Caerem-Eccles. rom. (Catalanus) l. I. tit. XII. §. III. p. 354.

Pontifices sed et Episcopus quoque et Presbyteros atque Diaconos jugiter Stolam deferre ostendimus nos in nostris Commentariis ad Pontificale Romanum. Certe de S. Thoma Cantuariensi Episcopo scribit in ejus vita Joannes Saresberiensis apud Mabillonium in Praefatione ad Saeculum I. Benedictinum, num. 108 *quod Stolam jugum Christi suave circa collum, diebus ac noctibus habebat.* Quod Presbyteros spectat, statuit quidem Concilium Moguntinum anni Domini 813. can. XXVIII. ut Presbyteri sine intermissione utantur Orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis. Huc respiciunt caput 169. libri VI. Capitularium et canon XXVI. Concilii Triburiensis apud Burchardum Wormaciensem lib. VI. cap. 10.: Ut presbyteri non vadant nisi Stola vel Orario induti.

Gestare denique solitos fuisse et Diaconos Stolam primo suae Ordinationis anno docet nos auctor vitae s. Mauri Abbatis, qui claudum et mutum curaturus Stolam, cum qua eodem anno, jubente beato Magistro suo, ordinatus ad ministerium fuerat Leviticum et quam juxta morem, sanctitatis gratia, primo indesinenter ferebat anno, de collo suo protulit et super caput infirmi, crucis signum faciens, posuit. Qui ritus si ab aliis Diaconis usurpabatur, certo non alio consilio aliove fine, inquit eruditissimus Thyers, de stola diaconali agens, quam ut ordinis sui dignitatem in oculis haberent semper atque a Subdiaconis discriminarentur quemadmodum liquet ex Canone IX. Concilii I. Bracarenensis, quod celebratum fuit anno Christi 563. Placuit, inquit, ut quia in aliquantibus hujus Provinciae Ecclesiis Diaconi absconditis infra Tunicam utuntur Orariis, ita ut nihil differe a Subdiacono videantur, de cetero superposito scapulae, sicut decet, utantur Orario.

Orarium idem est ac stola viderique possunt, quae de hac re et de Bracarenensis canonis interpretatione scripsimus in opere, de codice sancti Evangelii etc. lib. II. cap. 10 ubi etiam Joannem Cardinalem Bonam confutavimus, qui memoratorum Conciliorum canones, ubi loquuntur de Orario, seu Stola a Presbyteris sine intermissione gestanda, intelligendos esse autumat de Orario seu Stola improprie accepta seu de veste talari, quam re vera sine intermissione deferre hodieque Sacerdotes tenentur.

Invaluit vero pluribus ab hinc saeculis usus, ut solus Romanus pontifex propter ejus singularem praestantiam sacra stola decoratus incedat. Quamobrem in urbe Roma ob Papae reverentiam sacri oratores, sacerdotes scilicet, quos saeculares vocant, itemque Regulares, qui superpelliceis utuntur, sine stola concionantur, quam alias in sacris concionibus pendentem a collo habere debent. Etiam Parochi Romae praeterquam in exequiis, deferre stolam in sacris processionibus diu abstinerunt, sed tandem nostro hoc tempore sapientissimus Dominus noster Benedictus XIV. ecclesiasticae disciplinae peritissimus gestationem stolae eisdem permisit, nullam inde agnoscens irrogari injuriam pontificiae majestati. Hinc non video, cur et ipsi sacri oratores, cum verbum Dei Romae praedicant, sacram stolam e collo pendentem adhibere nequeant.

Catalan. Caer. Eccl. Rom. lib. I. tit. XII. p. 354.

30) Parochorum in functionibus.

Vd.: *Stola in funeribus; Stola in processionibus; Rocchettum* (quibus vetitum decc. n. 4591). *Stola extra Officium*. *Indulg. plen. pro Morib.* (habitus); *Instruct. Clem. §. IX. n. 10; Stola Papae.*

Proposita causa super jure deferendi stolam in publicis functionibus pro

parochis civitatis Tuderti S. C. resp.: Pro gratia juxta petita in casu, de quo agitur, dummodo incedant collegialiter. n. 4550 die 22. Aug. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECE.

S. C. indulgens Parochis Tudertinis facultatem deferendi Stolam in ecclesiasticis functionibus, posuit limitationem simulque conditionem: *in casu, de quo agitur, dummodo collegialiter incedant*: ne per indultum aliquid additum Parochorum juribus censeatur et ne, quod Collegio concessum est, singula membra sibi datum arbitrentur. Etenim non ita convenit Parochis Stolae delatio, ut semper et ubique pro libitu sine discrimine extra exercitium officii simulque ordinis ea uti possint. Erant qui putant Stolam esse jurisdictionis signum. Distinctivum officii est in illis dumtaxat actionibus quae sacrum illud exigunt indumentum et quamquam agatur de actibus, qui omnibus Sacerdotibus communes esse possunt, nequeant tamen exerceri sine speciali mandato, nisi a Parochis. Siquidem Stola sacerdotale est indumentum, quod omnibus Presbyteris aequae convenit, sed non semper; bene vero in conficiendis et administrandis Sacramentis ac in Sacramentalibus. Ideo nec Episcopi Stola utuntur nisi dum pontificalia aut sacerdotalia munera exercent vel aliud praestant, quod servata forma *Libri Caeremonialis*, Stolae exigat delationem. S. R. C. neque Hebdomadario in canendis divinis officiis fas esse Stolam adhibere pluries declaravit, quod *tantum in Sacramentorum administratione et confectione adhiberi debeat.* Ita in Alexanen. die 7. Sept. 1658, in altera Dalmatarum 4. Aug. 1663, et nuperrime sub die 7. Sept. 1816, nedum idipsum generali decreto confirmatum fuit, sed insuper additum: *Consuetudinem in contrarium esse*

abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum. Neque ad contrarium morem, quem potius reprobandum abusus dicam, cohonestandum quaeri posse quis effugium putet ab antiqua Ecclesiae disciplina, Canonibus Synodorum, et Sanctorum exemplis. Primis namque Ecclesiae saeculis longe diversa erat Stolae forma, diversus usus. Tunc enim multo latior et extensior vestis erat quotidiana, qua Sacerdotes a Laicis et inferioribus Clericis distinguebantur. Hinc in Epistola Nicolai I. ad Galliarum Episcopos legitur: *Per quam (scilicet stolam) quid aliud, quam Sacerdotii declarantur Insignia?* et in capitularibus Caroli magni et Ludovici Pii cap. 81, statutum est, ut *Presbyteri sine intermissione utantur Orario propter differentiam Sacerdotii dignitatis.* Concilium Moguntinum anni 817. Can. 28. jubet: *ut Presbyteri Stolam deferant sine intermissione*: et Roterius Veronensis Episcopus in epist. Synodic. tom. 2. Spicileg. praecipit: *ut nullus Sacerdos sine Stola in itinere incedat.* Etsi vero aevo S. Thomae Cantuariensis Stolae forma ab antiqua jam fuisset immutata et diversus ejusdem usus evasisset, nihilominus *Stolam jugum Christi suave deferebat circa collum diebus ac noctibus.* Apud Mabillonium in Praefat. ad Saecul. Benedic. num. 108. Certum est tamen id a pluribus saeculis obtinuisse, ut Stola rationem dumtaxat habeat sacri indumenti, ac propterea nequeat adhiberi nisi in confectione et administratione Sacramentorum et in Sacramentalibus juxta Rubricarum et Ritualis dispositionem. Nullibi vero legitur, quod delatio Stolae nedum signum sit sacerdotalis Dignitatis, quando exercitium Ordinis ejusdem usum requirit, verum etiam habeatur ut signum jurisdictionis. Veteris disciplinae immutatio quoad formam et usum nequit

efficere, ut quod prius ponebat discrimen inter Sacerdotes et Laicos ac inferiores Clericos, evaserit postea jurisdictionis indicium, ita ut Stolae delatio ex jure competat Parochis in quibusdam actionibus, quae sicut cum exercitio Ordinis conjunctae non sunt ita nequeunt Stolae usum exigere. Solus Romanus Pontifex in signum supremae universalis potestatis, quam a Deo sibi datam habet et exercet in toto Orbe catholico, Stolum non solum ad Arcam sacrisque actionibus sed ubique defert. Ideo legitur in caeremoniali S. R. C. Augustini Patrii sub nomine Marcelli Corcyrensis evulgato, quod Pontifex: *numquam debet exire in publicum sine Stola*. Non me latet, Scriptores nonnullos, ac eos praesertim, qui agunt de re parochiali, quoad usum Stolae relate ad Parochos jurisdictionis nomen confundunt cum Officii simul ac Ordinis exercitio. Nemo invidet Parochis delationem Stolae in quibusdam actibus, qui ad ipsos privative pertinent neque ab aliis possunt exerceri, nisi de Parochi jussu aut consensu; et Stola utique in his denotat officium, quod exercent, non autem jurisdictionem, nisi jurisdictione lato modo accipiatur pro actuali exercitio officii, quod exigit Stolae usum. Id verificatur in funeribus defunctorum, in quibus Parochi Stolum adhibent quousque exercent Officium, deponunt, dum alter subintrat in eodem munere. Hinc fit, ut Parochus, associando funus Stolum retineat in transitu per alterius territorium, exuat vero, dum ultimum vale dicit defuncto ad januam Ecclesiae, in qua est tumultandus. Cur autem ita? quia transiens per alterius territorium actu exercet officium, quod stolam requirit: perventus ad Ecclesiam tumultantem, ejusdem officii exercitium cessat. Quod si revera Stola esset signum jurisdictionis, dimittenda foret statim ac alie-

num territorium ingreditur. Atque ita S. R. Rotae intelligendae sunt Decisiones, quae afferi possent.

Quodsi Stolae delatio signum esset jurisdictionis, *Benedictus XIV.* haud concessisset Parochorum Collegio ejusdem usum in publicis supplicationibus ipso supremo pastore praesente, sed honorificum hoc signum eis dedit, ut nobile ipsorum Collegium a caeteris Presbyteris distingueretur eodem ferme modo, quo Capitula distinguuntur ex usu Rochetti, Almutiae aliisque id genus insigniis. Sed quoniam Privilegia non extenduntur de casu ad casum, ut ait Fagnanus in 5. decret. cap. 21. *ne pro dilat. de poenitentia et remissione, et cap. Olim; De verb. signific.* Ideo idem sapientissimus Pontifex, dum Collegium Parochorum illo insignivit Privilegio, cautum simul voluit, ne uti eodem possent illi ex Parochorum coetu, qui a Collegio separati cum suis incederent capitulis, veluti apparet ex edictali lege evulgata a tunc temporis Card. Vicario et asservata in Vicariatus Secretariae Tabulario.

Hinc fit, ut Stolae usus a Parochis haberi nequeat tamquam signum jurisdictionis, nisi lato modo accipiatur pro exercitio proprii officii, ita ut officium sit cum actuali ordinis exercitio conjunctum. Qua significatione retenta, vix usurpari poterit jurisdictionis vocabulum quoad delationem cadaverum et exequias super iis peragendas. Adhibent utique Stolum in aliis pluribus functionibus, quae ad ipsos privative spectant; sed ideo adhibent, quia hujusmodi actiones Stolae delationem necessario requirunt, uti sunt Sacramenta, Sacramentalia etc., minime vero ad demonstrandum per extrinsecum illud signum, quod ipsi sunt designati Ministri et jurisdictione fruuntur. Quod si actio non exigeret Stolae usum et nihilominus eam Pa-

rochus deferre vellet, interverteretur ordo adhibendi sacra paramenta Stolaeque delatio ut vana quaedam ostentatio habenda foret. Pone casum quod in solemnibus supplicationibus ducenda per ambitum alicujus Parochiae SS. Sacramentum deferat aut Cardinalis, aut Episcopus, aut Canonicus, aut alius simplex Sacerdos; is dumtaxat debet uti Stola, neque Parochus licet ejusdem delatio quia actu non exercet officium Sacerdotale erga Sacramentum. Quod si alicubi id fiat, reprobandum abusus est et ad vanam ostentationem referendus, quasi Parochus liceret adhibere Stolum sine actuali exercitio Ordinis per ambitum Parochiae. Si Episcopus in sua Dioecesi Processionem sequitur, in qua vel Canonicus vel alter Sacerdos defert aut SSimum Sacramentum aut Sanctorum Reliquias, non sibi Stolum imponit, quia actu non exercet officium Pontificale aut Sacerdotale, licet in sua Dioecesi plenam habeat et exercet jurisdictionem; eritne permittendum Parochus intra limites Parochiae, quod Episcopo in sua dioecesi non licet? Patet ergo delationem Stolae non esse signum jurisdictionis. Atque hujus loci sciscitari quis posset; an Parochus fas sit assumere Stolum, dum assistit Baptismatis et Matrimonii Sacramentis ab altero administratis? Pro negativa standum esse non dubito; quia simplex praesentia, etsi necessaria, non est sacerdotalis officii actuale exercitium. Clarius dicam: praesentia Parochi non est cum Ordinis exercitio in actuali Sacramenti administratione conjuncta. Si praesentia requiritur, haec suum denotat jus, non autem Stolae delatio, quam actio sine actuali Ordinis exercitio non exigit. Actio cum tali exercitio conjungitur, ut supra notatum est, in delatione et funere defuncti. In his namque Parochus non solum praestat praesentiam; sed

actu exercet officium, in quo Stola adhibenda est, intonando Psalmos, recitando Preces, aspergendo aqua benedicta cadaver aliasque ad Ritualis praescriptum sacras caeremonias peragendo. Contra vero in administrandis Sacramentis Matrimonii, et Baptismatis ille dumtaxat Stolum deferri debet, qui actu administrat, non autem Parochus, qui simpliciter assistit; et licet id ratione muneris faciat, officium tamen Ordinis non exercet. Neque arbitretur quispiam a Parochis hisce in casibus adhibendam Stolum saltem ut muneris distinctivum. Non enim hoc est a jure datum vel privilegio concessum. Non a jure, quia, si evolvas universos Juris canonici Codices habebis Stolum esse dumtaxat sacerdotale indumentum. Non ex privilegio, quia si rationem habeas illius, quo *Benedictus XIV.* Collegium Parochorum urbis decoravit, fatearis oportet indultum fuisse non singulis sed universo corpori, dum omnes scilicet collegialiter conveniunt ac proinde Privilegium Benedictinum trahi non posse ad casus, in quibus unus Parochus praestat suam praesentiam, sed officium, quod Stolum requirit, actu non exercet. Mei instituti ratio non fert, ut hac in re illustranda diutius immorer. Quae dixi sat, superque esse arbitror, ut quisque intelligat, S. C. jure merito in decreto supra relato cum limitationem, tum conditionem apposuisse, ne Parochi, eo freti indulto, abutantur putentque sibi licitum usum Stolae extra casus a S. C. contemplatos, veluti sunt interventus ad Synodum, publicae supplicationes aliaeque functiones, in quibus Parochi unitim et collegialiter conveniunt. Si quis plura velit, consulere poterit tractatum: *de sacris utensilibus cl. Viti Fabii de Albertis cap. 3., 7. et 8.*

Ad dub.: An rectori regulari ac plebano paroch. Eccles. Oppidi Cla-

rasci competat usus stolae in processionibus aliisque publicis functionibus ac generalibus supplicationibus?

C. C. resp.: Affirmative quando deferatur ab omnibus aliis parochis. N. 4238 ad 2 die 14. Februarii 1754.

Quum ad S. R. C. relatae fuerint preces Parochorum Mutinensium exquirentium confirmationem investae apud ipsos consuetudinis gestandi in supplicationibus stolam per cottam et mozzetam, S. C. resp.: *Non expedire.* n. 4884 die 11. Apr. 1840.

Quamvis ab immemorabili Parochi omnes Civitatis Mutinen. publicis in Supplicationibus gestarent Mozzetam, adeo ut propter veterem consuetudinem jus quaesitum haberent, novissime autem Caeremoniarum ultimi Ep. defuncti a S. R. C. generatim exquisivit: num Parochis liceret tali modo in occasione incedere, et Magister caeremoniarum, qui suam de mandato ipsius S. C. in scriptis sententiam dedit, non abs re negativum dedit responsum, dum in facti specie neque indultum neque privilegium adducebatur, nec de consuetudine quis mentionem fecerat. Quae res dum jus de medio tolleret omnino, non sine omnium admiratione ludibrio Parochis ipsis cedebat; eapropter Sacram adivere C., ac preces praesidio consuetudinis, quae jus attribuit, fulciebant. Attamen Emmi SS. Ritibus praepositi assertam solummodo consuetudinem ratam habere non dubitarunt III. Id. Apr. anno vertente. Subscripta die de novo enixe instituerunt, ut stante informatione et voto Rmni Mutinen. Ep., qui indubiam fidem facit in omnium esse opinionem pene ab immemorabili positum, eosdem Parochos verum efformare Collegium, ab iisdem Congregationis status coadunari, eorundem acta in registis inferri, sigillo communi uti in rebus Collegium spectantibus, ac sem-

per simili modo indutos publicis in Supplicationibus incesisse, quae omnia enuntiati Collegii institutionem satis ostendunt; saltem S. C. annuere dignaretur et idem Indultum Oratoribus concedere, sicut iisdem rationum momenti ductus s. m. Pius Papa VII. 15. Kal. Oct. Anno 1822. parochorum Collegio Ravennaten. concessit. Emmi, et Rmni PP. in ordinariis Comitibus ad Quirinales Aedes coadunati, ad relationem mei infrascripti Secretarii, expositis omnibus rite libratim matureque consideratis, attentisque potissimum Rmi Mutinen. Ep. informatione et voto de speciali gratia rescripserunt: „Juxta preces et ad instar concessionis factae Parochis Ravennatibus, sed solum dum collegialiter incedunt.“ n. 4912. Die 12. Sept. 1840.

Ab anno 1722 mos et usus invaluit, ut in processionibus Rogation., SS. Corp. Chr. caeterisque, quae ab Ecclesia Apuana tunc Collegiata, nunc vi subrogationis in Cathedralem evecta, instituuntur, alterna vice Parochi crucem propriae Parochiae elevent, quam Clerici Presbyterique universae civitatis sequuntur ac deinceps ipsi parochi superpelliceo stolaque induti; sequitur deinde Cathedralis crux cum Capellanis, Canonicis caeterisque de mensa; Clerici Seminarii episcopalis secuti sunt Ecclesiae Cathedr. crucem, quod Parochi permoleste ferebant. Inde dubium: an supradicti parochi, attempta consuetudine centenaria manutenendi sint in possessione alternatim elevandi in processionibus Crucem et vestiendi stolam circa collum virtute possessionis hujusmodi, ut a reliquo Clero, qui parochos debet praecedere, distinguantur? S. C. resp.: Affirmative. n. 4615 ad 1 die 5. Mart. 1825.

NOTA GARDELL. AD HOC DECR.

Quamquam Caeremoniale Episcopo-

rum, dum ordinem servandum in solemniori Processione Sanctissimi Corporis Christi apte disponit *lib. 2. cap. 33. num. 4.*, tam Parochis quam Collegiatis sub Cruce Cleri Ecclesiae Cathedralis incedentibus debitum locum assignet: haec tamen regula non omni ex parte ut praeeptiva tenenda est, sed potius, ne oriantur inter diversos Cleri coetus dissidia et dissensiones de praecedentia, et loco, ut directiva habenda est, dum sub unica tantum Cruce, unicum quodammodo morale Corpus efficiunt, licet diversi Ordines sint: ideo varias locorum consuetudines non eliminat, veluti notat cl. Catalanus ad hunc Caeremonialis locum *num. 1 et 2.* Eadem dispositio obtinet dumtaxat in casu, quo diversi Ordines simul conveniunt, non autem si in more sit positum, ut se junctim a Clero Cathedralis vel Parochi vel Collegiatae sub propria Cruce incedant. Hoc adeo verum est, ut nemo ignoret universali fere usu id esse receptum. Itaque Apuani Parochi cum a saeculo et ultra consueverint alterna vice propriae Parochiae Crucem erigere, sub qua primum Clerici, mox Presbyteri, demum ipsi Parochi Superpelliceo Stolaque induti incedebant, digniorem locum relinquentes Collegiatae (postmodum in vim subrogationis ad Cathedralis decus evectae) a legitima possessione acquisita per centenariam consuetudinem, quae vix praeter, non contra legem est, turbandi non sunt. Neque deneganda eis est stolae delatio, praeterquamquod enim de centenaria hujusmodi delationis consuetudine dubitatur; decet, ut Parochi collegialiter, non ut singuli, incedentes, a caeteris Presbyteris distinguantur. Stola quippe sacerdotale indumentum est, non signum jurisdictionis (si excipias parochiale exercitium in funeribus), ut quidam perperam opinantur. *Nullam autem importare jurisdictionem, si*

simpliciter deferatur sine ullo illius actuali exercitio, docet Pignatellus *tom. 3. consultat. 48. num. 40.* expresse dicens, *quod Stola sine suo exercitio non est signum praecipuum jurisdictionis, sed vestis sacerdotalis.* *Cap. Ecclesiastica 9. distinct. 23.*, et ut tradit S. Thomas *tom. 3. part. 9. supplement. art. 7. in corpor.* Est habitus proprius Sacerdotis, et est veluti forma totius ornatus sacerdotalis, et deducitur *ex Concilio Bracharen. III. et Toletan. IV. cap. 39* apud Gratian. *cap. 398. n. 61.*, Panimol. *part. 3. decis. 270. num. 11.* Rota in *Savonen. aggregationis 15. Junii 1699.* §. *Non obstat, coram Pio ibi: Non obstat quod Stola sit signum jurisdictionis, ideoque non concedenda simplici Sacerdoti etc.* Quapropter aliud Stola significat in Episcopo aliud in simplici Sacerdote etc. Et propterea esse signum aequivocum, nec importare jurisdictionem, nisi illam deferens expleat Parentalia. Et in Bisinianen. *Praeeminentiarum 27. Januar. 1726.* §. *final. coram Calcagnino; ubi: quod delatio Stolae in actibus non funeralibus non est signum jurisdictionale, sed dumtaxat distinctivum Parochorum a ceteris Presbyteris: et sic etiam alibi saepe saepius, ut refert probando Scarfantonus ad Ceccoperium part. 3. addit. 39. sub num. 80.* Et expresse declaravit Benedictus XIII. Constitut. incip. *Pretiosus §. et ad tollendam*, ibi: *deklarantes, et quatenus opus erit, discernentes, ac matura deliberatione mandantes Crucis erectionem, Stolae delationem et ingressus in Ecclesias in omnibus et singulis enumeratis, ac ceteris quibuscumque similibus casibus, nullam penitus jurisdictionem importare etc.* Ita apud Lucium Ferrarium *verbo: Stolan. 2.* Vide adnotationem ad Decretum in *Tudertina 22. Aug. 1818* et item in adnot. ad *Velitren.*

Bituntina.

S. R. C. approbavit decretum Episcopi Bituntini latum ad favorem parochorum civitatis Bituntinae quoad delationem stolae super cotta in processionibus ad distinctionem aliorum sacerdotum simplicium. Die 19. Julii 1687.

Anal. J. P. 1865. p. 1288 n. 2330.

Pedemontana.

S. Rituum Congregatio instantiae Parochorum civitatis Turrae in Pedemontana petentium approbationem cuiusdam decreti illius episcopi pro delatione et usu stolae in processionibus, ut ab aliis ruralibus parochis discriminentur, respondit et censuit: non esse concedendum nec permittendum, ut stolam deferant. Die 4. Decembris 1688.

Anal. J. P. 1865 p. 1302 n. 2374.

31) In Poenitentiae Sacram. administr.

Vd.: *Canonici* (administratio Sacramentor., praecip. decr. n. 4672); *Visit. de Poenit. Stola confessarii.*

In Cathedrali Patavina ex immemorabili consuetudine in publica administratione Sacramenti Poenit. Confessarii interdiciuntur ab usu stolae a Rit. rom. praescriptae. Queritur: an sit standum hujusmodi consuetudini? S. C. resp.: Negative sed standum omnino Rituali et aliis decretis. n. 5000 ad 3 die 7. Decembris 1844. Episcopus potest cogere *sacerdotes saeculares, ut audiant confessiones sacramentales cum superpelliceo et stola et Regulares cum stola tantum.*

S. R. C. Die 28. Aug. 1628 (apud Merati).

Ad dubium: an Confessarii in Ecclesia Cathedrali in actu Confessionum assumere debeant Stolam, qua non utuntur? Et S. eadem C. rescribendum censuit: Affirmative juxta alias

decreta. Atque ita rescribere rata est et respondere. n. 5107 ad 1.

Die 11. Sept. 1847:

Ad dubium: An adsit praeceptum utendi Stola violacea in administratione Sacramenti Poenitentiae? S. C. resp.: „Servetur Rituale Romanum.“ n. 4718 ad 3 die 17. Aug. 1833.

32) Presbyteri.

I. Assistantis Neomystae.

Vd.: *Assist. Sacerdotis noviter consecrati.*

Presbyter assist. Neomystae non debet subtus Pluviale stolam gestare nec fidelibus cum patena ministrare, quoties s. Communione instituenda est, sed utrumque spectare ad Diaconum. S. R. C. 11. Mart. 1837. Vd. p. 260 n. 13.

II. Assistantis Episcopo.

Valentinen.

Sacerdos Gustavus Jouve Canonici et Eleemosynarius Episcopi Valentiniensis quaerit 1: Utrum teneatur ferre super habitu choralis Stolam, quando assistentiam praestet Episcopo, dum in Oratorio privato aut alibi Missam celebret: in hypothesi vero negativa, quaerit 2: Utrum sibi liceat absque violatione Rubricarum, Stolam ferre in casibus supradictis? Et S. eadem R. C. in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subsignati Secretarii, respondendum censuit

Ad 1. „Negative“.

Ad 2. „Obstant Decreta“ n. 4778. Die 12. Martii 1836.

(Corresp. de Rome 1851 Ed. II. n. 70 p. 312.)

III. Communicantis.

Vd.: *Canonici* (administr. Sacrament.); *Praeseres* (c. VI., ubi etiam Diacono praecipitur stola.)

Ad dubium: An Canonicus Sacerdos

in fer. V. in Coena Dom. Communioni generali super almutiam stolam a collo pendentem habere debeat vel solum super cottam? S. C. resp.: Servandam esse locorum consuetudinem. n. 4469 ad 5 die 10. Sept. 1796.

Sacerdotes in die Coenae Dom. SS. Corpus Chr. sumpturi possunt deferre stolam vel ante pectus vel a collo pendentem. S. C. 30. Sept. 1679. *In una Capuccin.*

Post Diaconum et Subd. Episcopus communicat omnes Canonicos paratos et alios sacerdotes de Ecclesia, qui stolam a collo pendentem supra cottam habere debent. *Caer. Ep. I. II. c. XXIII. n. 6.*

Ad dubium: Utrum Canonici Feria V. in Coena Domini *Pluvialibus induti*, debeant insuper Stolam habere a collo pendentem ad S. Communionem suscipiendam?

Rescriptum prodiit: „Negative“.

Atque ita S. C. rescribere rata est, propositaque dubia declarare. n. 5208 ad 19.

Die 12. Aug. 1854.

Ad dubium: Utrum stola suppletur sive per pluviale aut planetam pro Canonicis paratis communicaturis in communionem generali, sive per dalmaticam pro diacono assistente calicem de manu episcopi accepturo in processione feriae V. in Coena Domini?

Resp.: Tam in communionem generali totius cleri, quam in processione feriae V. in Coena Domini congruum habitum esse sive pluviale aut planetam pro Canonicis paratis, sive dalmaticam pro diacono assistentibus supra rochetum cum amictu, dubitare non sinunt caeremonialis episcoporum clarissima verba. Etenim lib. II., cap. XXIII. de generali communionem §. VI ita praescribitur: „antequam (episcopus) purificet, communicat primum

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

diaconum et subdiaconum, deinde omnes canonicos paratos et alios sacerdotes de Ecclesia, qui stolam a collo pendentem supra cottam habere debent etc. Et de processione haec habentur §. XII diaconus assistens et non alius, cum debitis reverentiis capit SS. Sacramentum de altari, et illud stans offert episcopo genuflexo.“ Et rursum, ut perventum fuerit ad sacellum ubi sacramentum deponi debet §. XIII: „Cum episcopus erit ante supremum gradum altaris, diaconus recipit de manu ipsius stantis SS. Sacramentum genuflexus.... et clauso ostiolo per diaconum assistentem“ etc. Quae verba stolae delationem canonicis non modo non praecipunt, sed immo eos ab hac delatione excludunt. Cum enim jubeat caeremoniale, eos qui communicaturi sunt, *stolam a collo pendentem supra cottam habere*, evidens est, ab hac praescriptione excludi canonicos, qui parati cum sint sive pluviali sive planeta supra rochetum cum amictu (caeremoniale Ep. lib. I., cap. XV., §. 6. et lib. 2., cap. I., §. 4.) stolam supra cottam deferre non possunt. Eadem ratione excluduntur diaconi assistentes, qui perinde ac caeteri canonici adstare constanter solent induti dalmatica supra rochetum.

Nec sine speciali animadversione praetereunda sunt verba *non alius*, quibus in texto allato §. XIII. utitur caeremoniale Episcoporum. Ne cui enim forsam videretur, casu excidisse e calamo ea dispositio, ac melius consultum iri, si SS. Sacramentum tractaretur a diacono habente stolam, prudens sciensque huic suscipioni occurrat per verborum contextum: *diaconus assistens* et non alius. Quid autem, quod haec ipsa dispositio, iisdem fere verbis, jam pridem legebatur in caeremoniali Paridis Crassi lib. II., cap. XVI., de missa per suffraganeum seu de